



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Bacchus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## DE HEDERA. CAP. XII.

**H**edera autem non quercina tantum, sed qualiscumque esset, haudquaquam obscura celebratissima erat apud Ægyptios: quippe quæ propter continuum virorem vitibus etiam præferebatur in sacris, quod illa à fructu folia identidem amittant.

## BACCHUS, CAP. XIII.

**E**A vero in primis quæ corymbos nigros fert, sed & sine delectu coronamentis accepta Dionysio sacra quod æque est ac apud Ægyptios Osiridi, à quo etiam isti nomen: Chenofiris enim eorum lingua nominatur, quod Osiridis planta interpretatur. Præterea Dionysius, Nyfa urbe à se posita in extrema fere India, hederam quam sevit, æternum nominis sui monumentum esse iussit.

## NOCUMENTUM ABSCONDITUM.

## CAP. XIV.

**T**Hyrsis vero, quod telum est ligneum, circumfusa Hedera coopertum vini nocumentum hieroglyphicè indicat sub ipsius suavitate latitare. Hinc Macrobius Liberum Patrem ait ferre per obliquum, circumfusæ hedera latitante mucrone. Neque aliud sibi vult vitis supra caput Hecates prætendi folia, quæ nimirum ostendit Fauni patris insidias, quas in natam vini opera construxit, de quo latius in Serpente,

*Tum quod Baccho iniati hedera coronabatur Euripides in Bacchis, & Dionysius in Cosmographia. Macr. lib. 7. Satyr. c. 1.*

*Nec ullum omnino nodum in corpore habere, teste Epist. Pomp.*

*En lib. 4.*

## TENACITAS. CAP. XV.

**U**sque adeo vero adhæsit hedera tenacitatis nomen, ut illigandi complectendique significatum, ut olim apud nostros flamine Diali non modo eam tangere ominusum esset, verum etiam nominare, ne inde illigatus aliquo modo, vel re, vel cogitatione deprehenderetur. Eaque de causa neque anulum quidem ei gestare licebat, libera siquidem omnia esse volebant sacrificialis. Unde sacrum factura Dido apud Maronem, *unum exuta pedem vinculis in veste recincta legitur.* Manifestum autem est hederam vincire quicquid fuerit, ad quod se applicuerit. Hinc Horatius *Carm. lib. 1. od. 63. lascivis hederis ambitiosior dixit.* Hinc Catullus mentem amore revincens, *ut tenax hedera hac & illac arborem implicat errans.* Et Gallienus Imperator:

*Brachia non hedera, non vincant oscula concha.*

Ea denique sive ab hærendo, sive ab eo quod edita petat, sive potius ab edendo ea, quibus adhæserit nomen habeat. Libero Patri dedicata est, ut initio dictum, quod ita semper vireat, ut & ille semper juvenis. *Nam, Solis æterna est Baccho Phæboque juvenis,* vel quia mentes hominum ita Liber liget, uti ea quæcumque tetigerit impedit: ebrius enim quamvis solutum eum vel in angusta paupertate dicat Horatius, & Lyæus à solvendo nomen acceperit, irretitam tamen habet mentem, neque sui compos est.

## ASSERTOR. CAP. XVI.

**I**N numis plerisque caput hedera redimitum aspicias cum assertoris inscriptione: ut illud cum cornibus, ab cuius altera parte sigillum est cum racemo in dextera, in lava spoliū gerit: literæque legi possunt, ΔΙΟΝΤΕΟΤ ΣΕΝΤΗΡΟΣ. In aliquot aliis caput identidem hedera redimitum, ab altera vero facie Hercules cum clava & spolio literæ sunt, ΗΡΑΚΛΕΩΤΕ ΣΕΝΤΗΡΟΣ: infra vero, ΘΑΣΙΩΝ. Sed dicerem ego populæam potius esse frondem, nisi flexuosus viticulae ambitus hederam potius referret. Sunt vero Thasii ab insula, quæ Thraciæ adjacet, unde Hercules progenitores oriandi, quo nomine illi sibi plurimum plaudentes, imaginem ejus numis exprimere instituerunt.

*Epist. 5 ad Torquatum, lib. 1.*

BAC-